

nus episcopus secundum locum post illum optineat. Atque in hunc modum civitas Calcedona propter synodum generalem ibidem habitam ab imperatore<sup>a</sup> metropolitana meruit nominari.

16. Unde Calcedonenses canones statuerunt<sup>1</sup>, ut, quęcumque civitates litteris imperialibus metropolitani nominis honore subnixę sunt, honore tantummodo perfruantur, et qui ecclesiam eius gubernat  
<sup>\*f. 24.</sup> episcopus, salvis scilicet verę<sup>b</sup> metropolis privilegiis suis. \*Et Innocentius ad Alexandrum scribit<sup>2</sup>: Ad mobilitatem, inquit, necessitudinum mundanarum Dei ecclesiam non commutari honoresque aut divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendis<sup>c</sup> duxerit imperator. Ergo secundum pristinum provinciarum morem metropolitanos episcopos convenit numerari. Et hinc Leo ad Anastasium dicit<sup>3</sup>: Igitur secundum sanctorum patrum canones spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos metropolitanos singularum provinciarum episcopos ius traditę sibi antiquitus dignitatis intemertum habere decernimus. Et item idem ad Martianum Augustum<sup>4</sup>: Privilegia ecclesiarum sanctorum patrum canonibus instituta et venerabilis Nichenę synodi fixa decretis nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari.

17. Et ne quid forte a nobis praetermissum de hoc negotio ex industria de verbis Iulii videatur, superadicimus, quoniam Alexandrinus et Anthiochenus episcopi sicut et Thessalonicensis episcopus ex delegatione sedis apostolicę<sup>5</sup> metropolitanos sub cura sua habent. Iulius papa in sepe memorata<sup>6</sup> epistola sua,  
<sup>\*f. 24.</sup> quod et Calcedonenses canones<sup>7</sup>, qui fuerunt constituti \*in illis provinciis, decreverunt, ut, si<sup>8</sup> episcopi metropolitanum aut iudices suspectos habuerint aut infestos senserint, apud primate[m] dioceseos aut apud Romę sedis pontificem iudicentur. Quod Anatholius favente sibi ex maxima parte synodo, sed reclamantibus apostolicę

<sup>a)</sup> Zwischen p und o 1 Buchst. rad.

<sup>b)</sup> Scheint korrig. zu vere.

<sup>c)</sup> Zweites i auf Ras.

<sup>1)</sup> MIGNE 67, 174 c. 12.    <sup>2)</sup> MIGNE 67, 255 c. 46; HINSCHIUS S. 548 c. 2 (J-K. 310).    <sup>3)</sup> MIGNE 67, 293 c. 32; HINSCHIUS S. 619 c. 1 (J-K. 411).

<sup>4)</sup> HINSCHIUS S. 610 (J-K. 481).    <sup>5)</sup> Vgl. Leo I. an Anastasius von Thessalonich, MIGNE 67, 293 c. 32; HINSCHIUS S. 619 c. 1 (J-K. 411): — — metropolitanos singularum provinciarum episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuę cura praetenditur, — —.

<sup>6)</sup> Die früheren Zitate finden sich nicht im erhaltenen Teil der Denkschrift.    <sup>7)</sup> MIGNE 67, 173 c. 9.    <sup>8)</sup> Can. Ps.-Nicaen. bei Ps.-Julius, HINSCHIUS S. 469 (J-K. † § 196).